

1

2

29

30

31

32

33

OBSERVATIONES
IVRIS SAXONICI

Q V A S

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

SVPREMAE CVRIAЕ PROVINC. NEC NON ORDINIS ICTORVM
ASSESSORE, IVRIS SAXON. PROF. PVBL. ORDIN. ET
COLLEGII MINOR. PRINCIP. SODALI,

DIE XXVIII. DECEMBERIS A. O. R. CICIOCCCLXXIX.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

CHRISTIANVS GOTTLÖB SPRINGSFELD

LEVCOPETRA-MISNICVS.

L I P S I A E

EX OFFICINA HAERED. LANGENHEM. ET KLAVBERTHI.



OBSERVATIO I.

Coniunctio personarum, quibus mortuos in Saxonia electoralii lugere licet, ad certas regulas redacta.

Inter noxiis et in familiarum ruinam passim grassantis luxus species non ultima est ea, quae circa mortuorum lugitum versatur. Hinc sapientes legislatores istam politiae partem haud negligentes, intra certos limites lugitum includendum duxerunt: id quod in primis a nostris principibus factum est, qui superioris seculi in sumtibus lugitus funebris luxuriam in ciuium perniciem vergere animaduertentes, praeter ea, quae iam in *Ordinat. Polit. a. c. 1515 CCLXI. Tit. XVIII.* cauta sunt, peculiari bus legibus hanc in rem latis, quarum altera a. c. 1515 CCCCXXXIX.^a), altera vero priorem partim repens, partim illustrans ac emendans, a. c. 1515 CCL.^b) prodiit, huic malo mederi stu-

A 2

due-

a) *Mandat wegen Abstell- und Einschraenkung der übermaessigen Trauer*, d. d. 19. Jul. 1739. in *Continuar. Cod. Aug.* T. I. p. 657.

b) *Mandat wegen Abstell- und Einschraenkung der übermaessigen Trauer*, d. d. 7. Mart. 1750. p. *ibid.* p. 753.

duerunt, dum et tempus lugendi pro diuersa ratione coniunctionis cum defuncta persona restringerent, et ipsum modum in vestitu ac reliqua pompa lugubri seruandum praescriberent, et personas, quibus solis alias lugere licet, definirent. Haec ipsa vero, cuius postremo loco mentionem fecimus, istarum legum pars personas, quibus se inuicem lugere permisum, concernens, cum non ab omni dubio libera sit, haud superuacanea opera esse videtur, paullo accuratius definire, quarum personarum mortem lugere concessum. Sunt autem hae:

1) *Ascendentes et descendentes*, siue naturales, siue adoptiui, in infinitum, hoc est, nullo certi gradus respectu habito, secundum §. 1. et 2. cit. Mand. d. a. 1750. Nam eti ibi tantum derer *Eltern und Grosseltern*, *Kinder und Enkele* expresa occurrit mentio, non dubito tamen, quin mens legislatoris ad cuiusvis gradus ascendentes pertineat. Quid enim frequentius in legibus, quam sub parentum et auorum, liberorum ac nepotum appellatione omnes omnino cuiuscunque gradus ascendentes et descendentes comprehendit? Cui quidem interpretationi magna, ni fallor, vis ex pietatis ratione, tamquam vera licentiae lugendi causa, accedit, quae sane non minor inter superiores ultra auos ascendentes eorumque descendentes, ac inter ipsos auos atque nepotes intercedere videtur.

2) *Collaterales consanguinitatis* vinculo inuicem iuncti, *unilaterales* aequae ac *bilaterales*, usque ad tertium gradum computationis canonicae. Hanc regulam a me propositam, fateor, expressis allatae legis verbis haud contineri. Ibi enim (§. 3. et 4.) non nisi *Brüder und Schwestern*, *Bruders- oder Schwestern-*

Schweſter - Kinder, derer Eltern und Größ - Eltern Geschweſter,
nec non Geschweſter - Kinder des ersten und andern Grads com-
memorantur. Ac ne vltra has personas ad reliquos tertii
 gradus collaterales lugendi licentia extensa credatur, dispositio
 §. 12. prohibere videtur, vbi ita cautum; *Auſſer denen in*
diesem Mandat benientem Faellen foll niemand, wann ihm auch
Schon das Abſerben notificiret worden, zu trauren nachgelaffen
ſeyn. At nihiloficius tamen ex variis consanguineorum ge-
 neribus in §. 3. et 4. recensitis vniuersalem regulam duci
 posse, ita, vt personae ibi commemoratae tantum exemplo-
 rum instar sint, nec aequalitatis rationem circa alias iſdem,
 quibus illae, gradibus iunctas excludant, ob duplicum cauſ-
 fam mihi persuasum habeo, partim quod nulla idonea ratio
 reddi poſſit, cur cognati aequa propinqui circa lugendam
 mortem diuerso plane iure vi debant, partim quod legibus,
 quae naturalem libertatem reſtringunt et poenas irrogant,
 paullo benignior interpretatio in dubio conuenit. Quapro-
 pter cum ex personis, quarum ibi diſerta mentio facta, fra-
 tres et foeres ad primum, horum vero liberi vna cum pa-
 rentum fratribus nec non consobrinis primae generationis ad
 alterum, denique auorum fratres ac foeres pariter ac se-
 cundae generationis consobrini ad tertium gradum compu-
 tationis canonicae referantur, non dubito, omnibus in pri-
 mo, ſecundo et tertio consanguinitatis gradu poſtit collate-
 ralibus, etſi expreſſe ibi non commemoratis, vt, aui fra-
 tris filii, et auunculi aut patruelis nepotibus, quorum vin-
 culum inter consobrinorum primae et secundae generationis
 coniunctionem quaſi intermedium dici poſteſt, ſe inuicem lu-
 gendi licentiam tribuere. Neque, hac interpretatione ad-
 missa, auoritati clauſulae §. 12. adiectae et ſupra a nobis al-
 latae aliquid decidere arbitramur. Nam quod legislator li-
 centiam



centiam a se concessam ad species hac lege designatas, verbis: *auffer denen in diesem Mandat benienten Faellen, restringi iussit, id profecto praeter species disertis plane et claris istius edicti verbis propositas, etiam de iis, quae sub his tacite comprehenduntur, aeque commode capiendum.* Vnum adhuc restat dubium circa nostram regulam, quod a discrimine bilateralis et vnilateralis coniunctionis oritur. Nempe et si in §. 3. vt respectu fratribus et sororum nulla huius diuersae coniunctionis ratio habeatur, sed tam bilaterales, quam vnlaterales eodem modo lugere liceat, verbis: *wann Brüder oder Schwestern, sie seyn vollbürtig oder nicht, — versterben, eben dasjenige, was in vorstehenden §. derer Descendenten halber respectu des Alters derer Verstorbenen verordnet, bey der Trauer zu beobachten, aperte dispositum, tamien cum idem de reliquis cognatis hoc et sequenti§. nominatis expreſſe haud dictum sit, non absque ratione: An postremi tantum eatenus, quatenus utroque latere iuncti, lugeri possint? quaeritur. Ego vero non ambigo ad utrumque genus lugendi veniam referre, et verba: *sie seyn vollbürtig oder nicht, omnibus collateralibus, ad quos §. 3. et 4. spectant, accommodare, propterea quod partim a lateris duplicitate aut simplicitate proximitas consanguineorum proprietate et ex regulâ non pendet; partim ea, quae de discriminatione vnlateralium et bilateralium cognatorum in successione hereditaria ab intestato ius Saxonum seruat, plane singularia sunt nec ad exemplum trahenda: partim in causa dubia lege non distinguente etiam Ictum distinguere non decet: partim (in quo primarium huius interpretationis praesidium positum esse arbitror) ex ipsa quasi rei natura colligitur, quod, si inter fratres sororesque vnlaterales ac bilaterales nullam differentiationem lex admittat, nec inter reliquos cognatos ad fraternalm foro-**

sorioriumue coniunctionem se referentes, quales omnes sunt collaterales, vllum reperiri possit discriminem, quae profecto causa esse videtur, cur legislator repetitionem verborum supra allatorum in ceterorum cognatorum recensione superfluam dixerit.

3) *Affines in linea recta in infinitum*, id est, quoad omnem gradum. Sane voces: *Schwieger-Eltern*, *Stief-Eltern*, *Stiefskinder*, quibus legislator in §. 1. et 2. usus est, paulo latiorem significationem non minus, ac in descendentiis consanguineis parentum et auorum appellatio, de qua iam vidimus, admittunt. Et quamvis in §. 2. discriminem aliquod intuitu priuignorum, vel ante proprium et naturalem parentem, vel post eum desceditorum statutum sit, id tamen regulam nostram tollere nequit, cum illud ad solum luctus terminum, non ad ipsam lugendi facultatem in vniuersum, quippe quae utroque potius casu permissa, pertineat.

4) *Affines in primo gradu lineae collateralis collocati*, non ultra. Hos enim lugere expressis §. 3. verbis: *wie auch Schwaeger und Schwaegerinnen im ersten Grad*, ita, ut etiam ipsis fratribus et sororibus aequiparentur, concessum. Quae cum reliquorum post fratres et sorores cognatorum recensioni haud aequa adiecta inueniantur, nec a consanguineorum iuribus ad affinium conditionem tuta fieri possit argumentatio, facile patet, luctum affinium collateralium ulterioris gradus lege nostra haud probari.

5) *Coniuges*, de quorum se inuicem lugendi licentia cum ob dispositionem §. 1. satis luculentam nulla plane sit dubitandi causa, non est, quod huic rei inhaereamus.

6) *He-*

6) *Heredes, siue legitimi, (etiam ii, quibus ob paullo remotius consanguinitatis vinculum alias luctus non permisus) siue testamentarii, siue paclitii, aequae ac legatarii et fideicommissarii in ultima defuncti voluntate honorati.* Ita enim in §. 5. Verblebet zwar demjenigen, so von einem Fremden zum Erben eingesetzt wird, um selbigen acht Wochen zu trauren nachgelassen, wann aber einer nur ein Legatum bekommt, oder wenn ein remotior ab intestato succediret, darf die Trauer hoechstens nur vier Wochen waehren. Quo in loco etsi de hereditibus paclitiis atque de fideicommissariis disertis verbis nihil occurrit, eum tamen his quoque optime conuenire mihi persuasum habeo. Nam cum in Germania hereditas etiam pacto relinquiri possit, quid impedit, locutionem vernaculaam: zum Erben einsetzen, ad heredem quoque pacto constitutum trahere? Ac legatorum et fideicommissorum indole iure ciuili nouissimo aquiparata, non incongruum profecto est, sub expressa legati appellatione fideicommissum simul complecti. Accedit, heredes paclitiis et fideicommissarios non minori, ac legitimos vel testamentarios heredes et legatarios, gratitudinis officio defuncti memoriae obstrictos esse: in quo quidem, sicut aequitas et honestas desiderat, rationem lugendi licentiae his concessae latere, res ipsa loquitur.

Praeter has, quas haetenus recensuimus, personas nemini quidem lugendi facultatem competere, legislator §. n. edixit. Id vero de sola regula capendum, quae exceptiones patitur:

1. In luctu publico (*Landes-Trauer*) ob mortem principis regentis, aut eius coniugis ab officialibus peragendo.


2) In

2) In luctu, qui in curia principis propter obitum personae illustris sive ex domo Saxonica, sive ex alia familia regia aut principali oriundae, a supremo Mareschalli aulae iudicio (*Ober-Hof-Marschall-Amt*) ad certum tempus, quod una cum modo pro diuersa personae defunctae conditione et cum serenissima gente electorali coniunctione variat, indici, ac pro gradu discrimine vel *Hof-Trauer*, vel *Cammer-Trauer* vocari solet.

3) In illis collegiis, in quibus more receptum, ut collegae superstites defuncti socii memoriam lugubri uestitu per breue temporis spatium, v. c. duas aut quatuor septimanas, celebrent. Talis mos in hac vrbe cum apud Academiam, tum apud Senatum obtinet, ita quidem, ut mortuum Vniuersitatis litterariae Rectorem omnes ciues academici, qui sunt in regentium numero, hoc est, praeter omnes Doctores ac Licentiatos etiam Magistri legentes; defunctorum Professorem Ordinarium antiquae, ut vocant, foundationis ceteri eiusdem generis Professores, quippe qui soli, exclusis reliquis Professoribus, collegiali nexu inuicem iuncti sunt; obitum Assessoris alicuius Facultatis singula eiusdem Facultatis membra; decessum Collegiati reliqui eiusdem collegii, cui ille addicetus fuerat; sodales; Consulis vero et Senatorum primariae congregationi, quae die *Raths-Stube* appellatur, adsidentium mortem omnes reliqui Senatores, immo Consulis obitum praeterea superiores Senatus officiales lugeant. Neque hoc inuita lege fieri censendum. Nam noua lex saluis semper singulorum locorum ac collegiorum statutis atque consuetudinibus accipienda est, nisi his quoque iuribus particularibus vim suam detractam esse, ex legislatoris expressa voluntate constet.

B

OBSER.



OBSERVATIO II.

*An praescriptio onerum quinquennalis per interpellationem e fug-
gestu sacro factam interrumptatur?*

In *Ordinat. Prot. Sax. Recogn.* Tit. XLII. §. 8. oneribus realibus, quae fundis inhaerent, locus, quem inter creditores in debitoris bonis concurrentes obtinere debent, ita nempe, ut ornes hypothecarios, eti priuilegiatos, antecedant, assignatus reperitur, hac tamen addita clausula: nur wegen derer letztern 5. Jahre vor entstandenen Concurs, da hingegen die aeltern Reste, wenn solche nicht durch Execution oder gerichtliche Auflagen vorher gesuchet, oder deswegen geklaget worden, beym Concurse zu liquidiren nicht zugelassen, sondern der Einnehmer solche aus seinem eigenen Vermoejen zu bezahlen verbunden seyn soll. Ergo secundum patrium ius oneribus, siquidem ex concursu petuntur, (nam extra hunc ius commune seruandum) non solum quoad praeferentiam, sed in vniuersum lapsu quinquennii ita praescribitur, vt onera ultra quinque annos ante motum concursum residua ex massa concursus plane non soluantur, sed ab ipsis receptoribus praestanda sint. Quae legis dispositio cum poemam negligentiae receptorum in exigendis oneribus paullo tardiorum contineat, facile patet ratio, cur his onera etiam antiquiora, quorum solutio iam antea, hoc est, ante concursus originem executione aut iudicis auxilio quaesita fuerat, ex concursu debitorum petere liceat. Nam receptor, qui debitorem, dum liberam adhuc habet rerum suarum administrationem, et facilius soluere potest, vrget, aut nullam plane, aut non tantam saltem culpam, quanta in eo cernitur, qui ante concursum plane non vigilauit, tribui

tribui posse, res ipsa loquitur. Qua argumentandi ratione cum nihil sit aequius, quaestio oritur: An ad quinquennalem istam praescriptionem interrumpendam omnis debitoris morosi interpellatio, publice in primis facta, sufficiat? qualis nonnullis in locis occurrit, vbi receptum, ut census ecclesiastici residui aut statis temporibus, aut prout necesse videtur, pro rostris sacris a parocho denuntientur, et debitores de iis soluendis publice admoneantur. Possent quidem administratores aerarii ecclesiastici, qui ante concursum in debitoris bonis ortum id factum esse demonstrare valent, sic satis tuti propterea videri, quod haec interpellandi ratio non minus publica sit, ac ea, quae per executores aut iudicis ope sit, nec locus *Ordinat. Proc. Recogn.* supra allatus. adeo stricte accipi debeat, quasi praeter executionem aut iudicis implorationem nullo alio plane interpellandi modo ius in concursu creditortum onera residua cum effectu petendi ultra quinquennium conseruari queat, in primis cum nihil frequentius sit, quam legibus unum vel alterum medium certo fini obtinendo inseruiens non eo consilio, vt reliqua ad eundem finem tendentia media excludantur, sed tantum exempli instar proponi. Attamen ne in hanc, et si aequitati haud repugnantem, opinionem abeamus, quam passim in actis judicialibus a caussarum patronis defendi meminimus, efficit insignis differentia, quae inter debitorum interpellationem per executores aut iudicis auctoritate suscep tam, et denuntiationem e suggestu sacro factam a diuersa vtriusque vi et efficacia oritur. Sane ista, publica licet et hanc ipsam ob caussam paullo acerbior, parochi admonitio (qua is pro rostris sacris absque iniuria ne fungi quidem potest, nisi consuetudo loci ita ferat) nullam prorsus coactionem in se continet, quae tamen cum

B 2

execu-

—————

executorum! officio ac potestate et iudiciali auctoritate semper coniuncta est. Vnde sequitur, administratorem aerarii ecclesiastici, qui seueriorem viam, qua debitores morosi ad soluendum magis adigi potuissent, haud ingressus est, sola leatori contentus, eius gradus negligentiae, in cuius poemam praescriptio onerum quinquennalis in concursu creditorum introducta, omnino reum se facere. Ut taceam, veram ciuilem praescriptionis interruptionem ex regula actu tantum iudicali fieri, nisi lex aliam praeterea interrumpendi rationem expresse concederit, id quod de ista denuntiatione pro rostris sacris suscipienda dici nequit. Quae cum ita sint, illustris Ordo ICTORUM Lipsiensis petitionem administratoris ecclesiae, census ecclesiasticos ultra quinque annos ante cessionem bonorum residuos e Groschii concursu coram praefectura Portensi pendente, ideo quod interpellatio e suggestu sacro facta esset, desiderantis, mense Maio anni praeteriti reiiciendam censuit.

OBSERVATIO III.

De utilitate hypothecae in fundo vendito ob reseruatum rusticum expresse constitutae.

Reseruatum rusticum (*Auszug*), quod venditores praediiorum rusticorum in suam sustentationem ad dies vitae sibi saepissime stipulari solent, inter ipsa onera fundo vendito inhaerentia referendum esse, adeo, ut ad quoscunque futuros post emtorem possessores transeat, et ne per necessariam quidem sub hasta venditionem, qua hypothecae tolluntur, expiret, dummodo conuentio super isto reseruato initia iudicis confirmatione corroborata fuerit, ob exprefsam

sam Ordinat. Proc. Sax. Recogn. Tit. XXXIX. §. XI. sanctionem, Rescripto die XXVIII. Febr. a. 1515CCXXVI. ad dicasteria emissis^{c)} repetitam et illustratam nullo plane dubio obnoxium. Vnde sequitur, orto in bonis possessoris fundi, ex quo hoc reseruatum debetur, concursu creditorum residuam eius quantitatem (nam de ipso iure reseruato nulla tum quaestio, quoniam illud, ut diximus, ad vitae dies perdurat et ad futurum quaque praedii possessorem, ni sponte cedat senex eo gaudens, transit) residuam, inquam, quantitatem, cuius dies ante concursus initium iam venerat, in classe onerum, eam vero, quae in tempus pendentis concursus incidit, in prima adeo classe inter ipsas impensas in utilitatem concursus factas collocandam esse^{d)}). Neque ad hoc ius impetrandum expressa hypothecae reservatione in fundo vendito opus est, ut secundum ipsam rei indolem constituit Rescriptum cit. a. 1515CCXXVI. verbis: und es der Reservation einer Hypothek daby nicht gebrauchet; sed sola conuentionis de reseruato rusticō aut contractus emtionis venditionis, cui illud ineſt, confirmatio iudicialis ſufficit. Nam onera realia non ex hypothecae iure, sed ob propriam plane qualitatem, eum, qui illis in collocandis creditoribus assignatur, locum obtinent. At caue, ne ideo existimes reseruationem hypothecae ob constitutum reseruatum rusticum superfluam esse, et sine villo periculo omitti posse. Etenim eti reseruatum rusticum, a iudice confirmatum,


B 3

matum,

c) Quod extat in Contin. Cod. Aug. pag. 275.

iii. Cod. Aug. T. I. p. 369.) quod omnia onera realia durante praediorum obaerati debitorum fequestratione debita ipsis concursus sumitibus aequiparauit.

d) Ob Generale d. d. 3. Jul. a. 1515CCXLVIII. §. IV. (in Con-



matum; qualitatem onerum realium et inde pendentia iura neglecta hypothecae reseruatione haud amittit, haec tamen, si iudicis auctoritate accesserit, efficit, ut rusticus senex ideo orto concursu et ipsa onera realia antecedat, et residuam reseruati anni quantitatem, etiam ultra quinquennium, ad quod onerum petitio in concursu alioquin adstricta est, exigere et praeterea usuras morae, quae in onerum classe ex regula haud percipiuntur, saltem tribus annis proximis ante concursus initium instar reliquorum creditorum hypothecariorum iure petere valeat. Cuius rei causa non longe arcessenda est, sed in ipsa reseruati rustici natura reperitur. Quid enim hoc aliud est, quam pars pretii, pro quo fundus rusticus venditus fuit? Pretium vero residuum in concursu hac singulari praerogativa apud nos gaudere, ut, si in eius securitatem expressa hypotheca in iudicio reseruata fuerit, statim post debita vetera fundo ante debitoris communis acquisitionem inhaerentia, adeoque adhuc ante onera collocetur, ex clara *Ordinat. Proc. Sax. Recogn.* Tit. XLII. §. VII. dispositione intelligitur. Quae cum ita sint, prudentia vel maxime suadet, ut non solum in confirmatione pacti de reseruato rustico aut separatis initi, aut contratu emtionis venditionis inserti vendor hypothecam expressam sibi constitui curet, sed etiam eius aduocatus, orto in debitoris bonis concursu creditorum, in petenda residua quantitate eam, cuius dies demum durante concursu venit, ab ea, quae iam antea debebatur, accurate secernat, nec negligat, hanc, ubi expressam ideo hypothecam reseruatam esse viderit et demonstrare valeat, iure residui pretii petere. Nam satius profecto est, rem ipsam iudici luculenter ante oculos ponere, quam propriae eius disquisitioni, quae partium commoda concernunt, penitus relinquere.

Leipzig, Diss., 1779 K-2

X 237 1913

ULB Halle
005 433 703

3



B.I.G.

Black



OBSERVATIONES IVRIS SAXONICI

Q V A S

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

SVPREMAE CVRIA PROVINC. NEC NON ORDINIS ICTORVM
ASSESSORE, IVRIS SAXON. PROF. PVBL. ORDIN. ET
COLLEGII MINOR. PRINCIP. SODALI,

DIE XXVIII. DECEMBRIS A. O. R. CICIOCCLXXIX.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

CHRISTIANVS GOTTLLOB SPRINGSFELD

LEVCOPETRA-MISNICVS.

L I P S I A E

EX OFFICINA HAERED. LANGENHEM. ET KLAUBERTHI.